



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. Christo conueniat iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

spectat hæc iudiciaria potestas: ijs vero adiuncta est ratio meriti, quia ad perfectionem pertinet, & non repugnat simul cum alijs titulis coniungi, vt exposuimus superiori tomo, Disputatione quadragesima, Sectione tertia. Quod vero adiungit D. Thom. hanc potestatem etiam esse datam Christo propter plenitudinem gratiæ habitualis, non videtur ita intelligendum, vt hæc sit sufficiens ratio huius potestatis. Quia gratia habitualis per se non habet, vt illi debeat potestas, vel iurisdictio in alios, etiam si in suo ordine perfectissima sit. Sed potest altero è duobus modis intelligi. Primo, quia suppositis alijs rationibus huius potestatis, hæc etiam adiuuat, & est bona congruentia. Vel secundo, quia supposito, quod ad suam ordinem Diuinæ prouidentiae pertinet iudicium hominum alicui homini committere, dari debuit sanctiori, & innocenti homini: & hoc modo plenitudo gratiæ multum confert ad hanc potestatem.

ARTICVLVS I V.

Utrum Christo conueniat iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas.

141.
Quæst. 10.
Art. 2. cor.



Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod ad Christum non pertineat iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas. Vt enim legitur Luca duodecimo. Cum quidam de turba Christo diceret, Dic fratri meo vt diuidat mecum hereditatem: ille respondit. Homo, quæ me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Non ergo habet iudicium super omnes res humanas.

Præterea. Nullus habet iudicium nisi super ea, quæ sunt sibi subiecta. Sed Christo nondum videmus omnia esse subiecta: vt dicitur Hebræorum secundo. Ergo videtur, quod Christus non habeat super omnes res humanas iudicium.

Lib. 20 ca. 2.
tom. 5.

3. Præterea Augustinus dicit 20. de ciuitate Dei, quod ad iudicium diuinum pertinet hoc, quod interdum boni affliguntur in hoc mundo, & interdum prosperantur, & similiter mali. Sed hoc fuit et ante Christi incarnationem. Ergo non omnia iudicia Dei circa res humanas pertinent ad iudiciariam potestatem Christi.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio.

Rpondeo dicendum, quod si de Christo loquamur secundum diuinam naturam, manifestum est, quod omne iudicium Patri pertinet ad Filium, sicut enim Pater facit omnia Verbo suo, ita & omnia iudicat Verbo suo. Si vero loquamur de Christo secundum naturam humanam, sic etiam manifestum est, quod omnes res humane subiciuntur eius iudicio. Et hoc manifestum est, primo quidem si consideremus habitudinem anime Christi ad Verbum Dei. Si enim spiritaliter iudicat omnia (vt dicitur prima ad Corinthios secundo) in quantum mens eius verbo Dei inhaeret, multo magis anima Christi, quæ est plena veritate Verbi Dei super omnia iudicium habet. Secundo apparet idem ex merito mortis eius: quia vt dicitur Romanorum decimo quarto in hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur. Et ideo super omnes habet iudicium, propter quod & Apostolus ibi subdit, quod omnes stabimus ante tribunal Christi. Et Danielus septimo dicitur, quod dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & lingua seruient ei. Tertio apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humane salutis. Cuiusque enim committitur principale, committitur & accessorium. Omnes autem res humane, ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quam homines admittuntur, vel etiam repelluntur iudicio Christi: vt patet Matth. 25. Et ideo mani-

A festum est, quod ad iudiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humane.

Ad primum ergo dicitur, quod sicut dictum est, iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem. Christus autem quamuis esset rex constitutus à Deo, non tamen in terris uiuens, terrenum regnum temporaliter administrare voluit. Vnde ipse dicit Ioannis de imo octauo. Regnum meum non est de hoc mundo. Similiter etiam iudiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad diuina trāsferre: vnde Ambrosius ibidem dicit, Bene terrena declinat qui propter diuina descēderat: nec iudex dignatur esse licium, & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.

B Ad secundum dicendum, quod Christo sunt omnia subiecta quantum ad potestatem, quam à Patre super omnia accepit: secundum illud Matthæi ultimo. Data est mihi omnis potestas in celo & in terra. Nondum tamen sunt omnia ei subiecta quantum ad executionem suæ potestatis, quod quidem erit in futuro: quando de omnibus voluntatem suam adimplebit, quosdam quidem saluando, quosdam autem puniendo.

Ad tertium dicendum, quod ante incarnationem huiusmodi iudicia exercebantur per Christum, in quantum Dei Verbum est, cuius potestatis facta est participatio per incarnationem in anima ei personaliter vnita.

COMMENTARIVS.

Affirmat D. Thom. iudiciariæ potestati Christi subdi omnes res humanas. In qua assertione solium occurrit aduertendum, proprium actum iudiciariæ potestatis versari propriè, & immediatè circa actiones humanas, quatenus per eam potestatem homines iudicantur. Nunc enim de Angelis non agimus, & inferiores res non sunt capaces huius iudicij. Quia cum non habeant libertatem, non sunt capaces bonitatis, & malitiæ, & eadem ratione homo non subditur huic iudicio, nisi quatenus potest, & debet libertate sua vt ad bene operandum, & cauendum malum. Quod fit per actionem humanam sub qua omissionem etiam comprehendimus, & peccatum etiam originale, quatenus ex actione humana primi Parentis deriuatum est. Et ita in vltimo iudicio sententia iudicis tora nititur humanis actibus, quibus pœna, vel præmium responderet Matth. 25. Cæteræ igitur res humane carent sub iudiciaria potestate continentur, quatenus bene, vel male homo illis vsus est, vt ipe potuit, & non fecit. Et hoc modo non tantum res humane: sed etiam (vt ita dicam) ipse res diuinæ, & omnes creaturæ cadunt sub hanc potestatem, quatenus omnes homini aliquo modo subijciuntur, vel in eius ministerium, vel salutem ordinantur, vt Diuus Thomas attigit in tertia ratione, quæ est propria & adæquata. Nam in duabus prioribus magis explicatur: quomodo ex parte Christi non deficit scientia, & gratia, seu reconditudo, & meritum ad tam eximiam, & vniuersalem potestatem.

In solutionibus argumentorum occurrebat quæstio, an Christus in hac vita assumpserit dominium, & potestatem iudicandi, sed eam satis explicuimus in priori tomo. Est autem attente considerandum, D. Thomam in solutione ad 1. nullam

Christo negare potestatem, sed vsum tantum: